

Cambridge University Press

978-1-108-05146-0 - Registrum Epistolarum Fratris Johannis Peckham, Archiepiscopi Cantuariensis: Volume 2

Edited by Charles Trice Martin

Excerpt

[More information](#)

---

---

**REGISTRUM EPISTOLARUM  
FRATRIS JOHANNIS PECKHAM  
ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS.**

**VOL. II.**

---

R 4237. Wt. 14024.

A

Cambridge University Press

978-1-108-05146-0 - Registrum Epistolarum Fratris Johannis Peckham, Archiepiscopi  
Cantuariensis: Volume 2

Edited by Charles Trice Martin

Excerpt

[More information](#)

---

## CCCVI.

To CARDINAL BENEDICT GAETANO.

Reverendo in Christo patri ac domino Benedicto, 1282.  
 Dei gratia Sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono 1 Aug.  
 cardinali, frater J[ohannes], permissione divina, etc., Defends his pro-  
 cum omni reverentia et honore paratam ejus benepla- ceedings  
 citis voluntatem. Paternitatis vestræ literas suscepimus against the  
 cum ingenti gaudio et dolore, asperas quidem sed non bishop of  
 exasperantes, inferentes caritatis vulnera sed sanantes, R. f. 16.  
 tenentes siquidem certissime quod vos ea quæ simpli-  
 citati nostræ expediunt, cum affectu amplectimini<sup>1</sup> et  
 effectu. Hoc solum in sanctitatis vestræ literis mi-  
 randum vidimus et plangendum, quod inimicis Dei et  
 nostris ecclesiasticam fugientibus disciplinam, et præ-  
 sertim blæsis Herefordensis episcopi labiis, fidem  
 adhibuisse vestra reverentia videbatur. Scripsistis  
 enim, pater sanctissime, quod ipse ad sedem apostoli-  
 cam, propter molestias sibi a nobis et nostris officia-  
 libus illatas, requirere, ut asseritur, est compulsus.  
 Super quo, pater sanctissime, noveritis quam nos as-  
 serimus inveniendam finaliter veritatem. Quoniam cum  
 . . . officialis suus ab . . . officiali nostro ex parte  
 una, et ab auditoribus nostris ex parte altera fuisset  
 hinc inde propter multiplicatam contumaciam ac totius  
 libertatis Cantuariensis ecclesiae subversivam, quantum  
 in ipso erat excommunicationis sententia innodatus,  
 nos coacti scripsimus episcopo ut ipsum excommunica-  
 tum denunciari faceret sollempniter, ut est moris.  
 Quo nostra mandata et monita contempnente, eidem  
 diximus viva voce, cuius dicti tam ipsum quam Ardi-

<sup>1</sup> *amplectimini*] *applectimini*, MS.

Cambridge University Press

978-1-108-05146-0 - Registrum Epistolarum Fratris Johannis Peckham, Archiepiscopi Cantuariensis: Volume 2

Edited by Charles Trice Martin

Excerpt

[More information](#)

394

EPISTOLÆ JOHANNIS PECKHAM.

cionem complicem suum testes quamvis adversarios invocamus, ut ipse nobis faceret, quod praedecessores sui praedecessoribus nostris omni tempore fecisse noscuntur. Adjacentes quod, si hoc ficeret, sic possessione juris nostri uteremur imposterum sobrie et modeste, quod nunquam ipse gravaretur aliquo facto nostro. Quibus ab ipso spretis, tandem crescente contumacia indurata, multorum prudentum consilio cuidam socio nostro commisimus potestatem in ipsum, si contumax remaneret, quod erat canonicum exercendi. Quo facto fugit ipse in spiritu Dathan et Abyron, non minus ex innata laesione cerebri quam ex perniciacia voluntatis. Postquam vero sponte recessit pacificatis suffraganeis nostris, qui propter quædam officialium et auditorum nostrorum gravamina extiterant offensi, ipsis rogantibus concessimus quod ipsum Herefordensem ad eandem pacis formam reciperemus hilariter, si rediret penitus ad eandem. Ipse autem, processus nostri tam in conciliis quam extra concilia præcipius impedito, hujus nostræ benicitatis abusu recessit pertinax, ut credimus firmiter, quod nollemus, meritis sanctorum Cantuariensis ecclesiæ patronorum cum suis complicibus ira Altissimi feriendus. Hæc est veritas, pater sanctissime, pro cuius defensione nullum timemus genus angustiæ sustinere. Demum mansuetudinem nobis suadet vestra dulcissima clementia, de quo vobis breviter respondemus, quod nisi nostra mansuetudo excederet perfectæ virtutis limites, non vastarent tot lupi in Anglia oves Christi, quot vastare sensibiliter dinoscuntur. Et nihilominus ex habundanti mansuetudinis gratia omnes nostros mutavimus auditores, nihil tantum desiderantes sub cœlo, sicut pro illis qui nobis falso imponuntur excessibus, in facie sanctæ Romanæ ecclesiæ comparere fronte libera omnium adversantium jaculis restituri, et nichilominus interim vestris parebimus beneplacitis bona fide. Custodiat Dominus excellentiam vestram per

tempora longiora. Scriptum apud Wengham, kal.  
 Augusti.

## CCCVII.

## DIVISION OF WINGHAM INTO FOUR PARISHES.

Universis præsentes literas inspecturis, frater Jo- 1282,  
 hannes, permissione divina Cantuariensis archiepisco- 2 Aug.  
 pus, totius Angliæ primas, salutem in Domino sem- Division of  
 piterham. Summi Patrisfamilias providentia, cuius into four  
 imperium universæ creaturæ terminos moderatur, vi- parishes.  
 neam suam custodibus commendavit, et unicuique A. f. 137 b.  
 secundum propriam virtutem ac gratiæ mensuram dis-  
 pensans, tradidit regni sui negotia procuranda, ne si  
 forte transcenderet negotiantis vires et industriam  
 talenti crediti magnitudo, fraudaretur thesaurus Domini,  
 vastaretur vinea, et grex Christi sanguine comparatus  
 sub opilionis insufficientia a lupis libere vastaretur.  
 Nos igitur vitalis fructus desiderio in Christi specula  
 sollicitas excubias secundum datam nobis gratiam ob-  
 servantes, attendentesque processu temporis minui  
 merita, augeri maliciam, ac refrigerescere caritatem, quæ  
 sola debet ad animarum regimen mentes catholicas  
 inclinare; in ecclesiam de Wengham oculos injecimus  
 tanquam vineam distentam ramis ac fructibus copio-  
 sam, nec posse faciliter unius cultoris sed nec duorum  
 sufficienter excoli laboribus, tam propter distentum  
 terræ spatium, quam populum numerosum, sufficere-  
 que fructus ejus uberes pluribus laborantibus condigna  
 stipendia ministrare. Valdeque videtur a divinis re-  
 gulis alienum, quod pluribus Christi militibus sufficit  
 affluenter, cum rei publicæ læsione, et animarum indi-  
 cibili dispendio, in unius marsupium coartari. Quocirca  
 in hujus periculi remedium nos cum capitulo nostro  
 super hoc tractatu habito diligenti, de ipsius præmedi-  
 tato consensu, renunciantesque ordinationi felicis recor-

Cambridge University Press

978-1-108-05146-0 - Registrum Epistolarum Fratris Johannis Peckham, Archiepiscopi Cantuariensis: Volume 2

Edited by Charles Trice Martin

Excerpt

[More information](#)

396

EPISTOLÆ JOHANNIS PECKHAM.

dationis domini Gregorii papæ decimi, qui ad instantiam bonæ memoriæ domini Roberti, prædecessoris nostri, ecclesiam de Wengeham dividi voluit in præbendas, eam in quatuor parochias dividimus in hunc modum. Quarum primam esse volumus, ecclesiam de Wengeham cum omnibus hamelettis suis et cum decima nostra archiepiscopali de *la Bertone*, et cum capella et decimis domini de Overlaunde ac tenentium ejusdem omnium in Overlaunde, et cum tota decima de Cockynge et de Hodoun, et cum tota decima Campi Crul, qui in eisdem finibus de nostro esse dinoscitur tenemento. Secundam, parochiam de Esse, habentem totum residuum decimarum quæ consueverunt venire ad orreum de Geldeneton', cum capella de Flete, et cum omnibus hamelettis suis, illis tamen semper exceptis quæ supra ecclesiæ de Wengeham assignavimus nominatim. Tertiam, ecclesiam de Godwyneston' cum hamelettis de Boningtun', Offingtun', Rollinges, Newenham, Underdone, cum partibus de Tuicham et de Chelmden', quæ ab antiquo consueverunt ad eandem de Godwynestun' ecclesiam pertinere. Quartam, ecclesiam de Noningetun' cum capella de Wymelingewelde ac hamelettis de Rittlynge, Freydevile, Hesole, Suthmoningtune, Hakeholte, Catehampton', Attedane, Wolshethe, et Vike, salvis in prædictis quibusdam portionibus, quas vicarii hactenus libere percepisse noscuntur. Et quia in hac divisione ad solum Dei honorem et spirituale ac temporale commodum respicimus animarum, regulas sequentes canonicas secundum Dionysium, manifeste sub interminatione divinæ maledictionis universis nostris subditis prohibemus, ne quis hanc divisionem de prudentum virorum consilio exquisitissime factam audeat impugnare. In cuius rei testimonium præsentem scripturam sigilli nostri impressione duximus roborandam. Valete. Datum apud Wengeham, iii<sup>to</sup> non. Augusti, anno Domini millesimo cc<sup>o</sup>LXXX<sup>o</sup> secundo, consecrationis nostræ quarto.

Cambridge University Press

978-1-108-05146-0 - Registrum Epistolarum Fratris Johannis Peckham, Archiepiscopi Cantuariensis: Volume 2

Edited by Charles Trice Martin

Excerpt

[More information](#)

## CONFIRMATION BY THE PRIOR AND CHAPTER.

R. f. 104 b.

Omnibus Christi fidelibus præsentes literas inspectu-  
ris Th. permissione divina prior ecclesiæ Christi Cantua-  
riensis, et ejusdem loci capitulum, salutem et sinceram  
in Domino caritatem. Ordinationem quam venerabilis  
pater Johannes Dei gratia Cantuariensis archiepisco-  
pus, totius Angliae primas, circa ecclesiam de Wenge-  
ham fecisse dinoscitur, inspeximus in tenore qui infe-  
rius annotatur: — Universis præsentes literas, etc.  
Summi Patrisfamilias providentia, etc., *de verbo ad*  
*verbum sicut in proxima litera usque in finem.* Quam  
ordinationem dicto archiepiscopo ut inspiratam cœlitus  
ratam habentes, eidem concorditer consentimus, et eam  
sigilli nostri munimine duximus perpetuo confirman-  
dam. Datum in capitulo nostro Cantuariæ, nonis  
Augusti.

## CCCVIII.

PECKHAM TO THE CONVENT OF CHRISTCHURCH,  
CANTERBURY.

Frater Johannes, permissione divina Cantuariensis  
ecclesiæ minister humilis, totius Angliae primas, dilec-  
tis filiis . . priori et capitulo ecclesiæ nostræ Can-  
tuariensis, salutem, gratiam et benedictionem. Ex 1282.  
evangelicis fundamentis, Spiritus Sancti gratia diri-  
gente, beati Benedicti regula dinoscitur processisse. 6 Aug.  
Quæ si a vobis, filii carissimi, perfecte et integre ser-  
varetur, essetis toti ecclesiæ Anglicanæ perpuræ clari-  
tatis speculum, cuius tenetis locum præcipuum Salva-  
toris clementia ordinante. Quod in vobis cupientes  
totis visceribus consummari, quasdam vobis salubres  
observantias proponimus et imponimus, quæ præsenti

Injunc-  
tions to be  
observed  
by the  
prior and  
convent.<sup>1</sup>

R. f. 228.  
A. f. 164.

<sup>1</sup> Marginal note in R.: “Ultima | “Ium ecclesiæ Christi Cantuariensis  
“ordinatio inter priorem et capitu- | “facta per dominum.”

Cambridge University Press

978-1-108-05146-0 - Registrum Epistolarum Fratris Johannis Peckham, Archiepiscopi Cantuariensis: Volume 2

Edited by Charles Trice Martin

Excerpt

[More information](#)

398

EPISTOLÆ JOHANNIS PECKHAM.

pagina continentur, a te, fili prior, sumentes exordium, qui in absentia nostra abbatis geris officium, ex cuius moribus et industria totius monasterii bona dispositio cognoscitur dependere. In primis, igitur, quia omnium tam spiritualium quam temporalium tibi ex regula committitur dispensatio, ut vigore meriti ministerium tuum facias honorabile, et commisso tuo collegio fructuosum; volumus et mandamus, ut quotienscumque vacare poteris commode, et forinseca negotia id permittent, quorum onus pro subditis tuis cogeris principaliter sustinere, quasi cervus umbram desiderans, ad claustrum refrigerium confugas, et ibidem sedens et silens cum fratribus conquiescas, sicut aquila ad volandum provocans pullos suos, ut et fratrum confiteri volentium cures vulnera, et consolides vacillantes, ac in ceteris locis communibus, utpote choro in vigiliis, dormitorio in quiete, capitulo in collationibus, refectorio in necessitatibus, te sic realiter priorem ac præcessorem exhibeas, ut oves cum gaudio te sequantur. Alioquin si, quod absit, implicationem forinsecam ultro amaveris, si etiam, quod absit, laxius vixeris, si vigiliarum excubias remissius custodieris, in te adimplebitur, quod avertat Altissimus, illud Sapientis elogium, “Rex “ insipiens populum suum perdet.”<sup>1</sup> Demum vobis filiis scribimus universis, ut divinarum laudum officio vos totis viribus coaptantes, horis canonicis in choro cum fratribus, ubi Verbi Incarnati est procul dubio præsentia corporalis, ubi condigne psallentibus angelorum assistit applausus, dimisis omnibus intersitis, illis duntaxat exceptis qui ex causa necessaria coguntur abesse de certa conscientia præsidentis. Et qui secus fecerint, secundum regulam puniantur, de quo tuam, prior, conscientiam in tremendo judicio oneramus. Et ne causari valeas impotentiam, volumus et mandamus vice et auctoritate nostra cervices indomitas, si quæ fuerint, in hoc et in aliis corrigas, in minoribus

<sup>1</sup> Eccl. x. 3.

Cambridge University Press

978-1-108-05146-0 - Registrum Epistolarum Fratris Johannis Peckham, Archiepiscopi Cantuariensis: Volume 2

Edited by Charles Trice Martin

Excerpt

[More information](#)

arbitrarie, in gravioribus autem de consilio seniorum tibi assidentium, quos non solum annorum numerus verum vita immaculata facit amplius reverendos. Ubi autem regula certam poenam infligit, magistrum sequaris regulam ut teneris. Nec etiam aliquid subtrahas de necessariis communitati, seu in vestibus seu alimentis, seu necessariis quibuscumque, sine communione consilio, juxta quod regula fieri mandat in capitulo “ De fratribus ad consilium adhibendis.”<sup>1</sup> Nec juniores fratres administrationibus interioribus vel exterioribus quomodolibet implicitur, donec suum servitium reddiderint competenter, nisi sint tales quibus propter prærogativam meritorum et utilitatem publicam fieri debeat gratia specialis. Nulli insuper fratri pro necessitate quacunque seu negotio de claustrō egredi liceat, absque socio interius et exterius non suspecto sibi assignato de certa conscientia præsidentis. Inhibemus autem ne in prioris absentia quicunque, supprior vel alius pro conventus regimine subrogatus, alicui vel aliquibus præbeat exeundi licentiam, ad quemcumque locum vel loca, cui vel quibus priorem si præsens esset putat probabiliter velle negare licentiam exeundi. Sacristæ autem et camerario equos, bigas et prata concedimus, quæ pro suo explendo officio habere consueverunt temporibus retroactis. Ita tamen quod eisdem sacristæ et camerario non liceat equos ipsos aut bigas accommodare alicui sine licentia præsidentis. Circa dispensationem vero temporalium forma ista inviolabiliter observetur: ut, videlicet, prior de fratrum consilio, ut fieri consuevit, ballivos collocet in singulis

<sup>1</sup> Regula S. Benedicti, c. iii.

“ Quotiens aliqua præcipua  
“ agenda sunt in monasterio, con-  
“ vocet abbas omnem congregatio-  
“ nem, et dicat ipse unde agitur.  
“ Et audiens consilium fratrum,  
“ tractet apud se; et quod utilius  
“ judicaverit, faciat. Ideo autem

“ omnes ad consilium vocari dixi-

“ mus, quia sæpe juniori Dominus

“ revelat quod melius est,” &amp;c.

The rule, with a copious commentary, is printed among the works of S. Benedict, in Migne's *Patrologiæ Cursus*, vol. lxvi. p. 215.

Cambridge University Press

978-1-108-05146-0 - Registrum Epistolarum Fratris Johannis Peckham, Archiepiscopi Cantuariensis: Volume 2

Edited by Charles Trice Martin

Excerpt

[More information](#)

400

EPISTOLÆ JOHANNIS PECKHAM.

maneriis sacerdotes, et praepositi aliquos de tenentibus ecclesiæ fideles et industrios in eisdem. Ita tamen quod ballivi nullam pecuniam recipient de maneriis, sed dumtaxat praepositi omnes proventus et exitus maneriorum undecunque provenientes recipient et colligant, et ad thesaurarium deferant, sub custodia thesaurariorum, absque diminutione qualibet collocanda, exceptis tantummodo possessionibus illis quæ sunt ad eleemosynarium in subsidium egenorum et ad praecentoris officium pro librorum custodia deputatae. Ita quod omnia alia bona monasterii temporalia ex quaenam causa seu spirituali seu temporali provenientia, ad thesaurum veniant evidenter, et tam prior pro necessitatibus personæ suæ, vel ecclesiæ, quam ceteri obedientiarii, ex eodem thesauro recipient omnia sibi necessaria sine fraude. Prohibemus autem, monentes primo, secundo et tertio, quia evidens periculum excludit inducias longiores, ne per aliam viam quis audeat vel in maneriis vel in ecclesia vel alibi ubiquecumque bona ecclesiæ contrectare, seu in privatos usus quomodo cumque convertere, sub poena excommunicationis majoris, quam in hiis scriptis ferimus in quoque contrarium facere præsumentes, abusum talem dampnatae proprietatis ac sacrilegii vitium reputantes. Praepositi autem ipsi de receptis reddant rationem coram priore vel aliquo ejus vices gerente, et aliquibus discretis fratribus, prout fieri consuevit. Provideatur insuper per priorem et capitulo seniores, quod duo fratres honesti et providi, quando dicetur eis per priorem de seniorum consilio, visitent pariter maneria prioratus quæ sunt in Kancia, et duo alii maneria extra Kanciam, qui statum maneriorum, ac ballivorum et praepositorum diligentiam seu negligentiam, explorent sollicite, et priori et conventui referant quod invenerint in præmissis. Ita tamen quod isti supervisores nullam recipient pecuniam in maneriis, sed praepositi eis sumptus necessarios subministrent, et expensas necessarias, si quas facturi sunt, usque ad